Quelle: https://manuscripta.at/?ID=5915
Copyright: CC BY 0.4 <img src="https://manuscripta.at/styles/icon_cc_by.png"> <img src="https://manuscripta.at/styles/BMKOES_Logo.svg" height="48"> <img src="https://manuscripta.at/styles/EUnion_POS1.jpg">



thimo

vino dedisse nec carpe luari secundes habentes mysterium fidei in conscientia pura Et hi primo probentur et sic ministrent nullum crimen habentes Mulieres similiter pudicas non detrahentes sobrias fideles in omnibus Diaconi sint unius uxoris viri qui filios suos bene prosunt et suis domibus Qui enim bene ministraverit gradum sibi bonum acquirent et multam fiduciam in fide quae est in xpo iesu Hec tibi scribo fili timothee sperans me venire ad te cito Si autem tardaverit ut scias quomodo oportet te in domo dei conversari quae est ecclesia dei vivi columpna et firmamentum veritatis Et manifeste magnum est pietatis sacramentum quod manifestum est in carne iustificatum est in spiritu apparuit angelis predicatum est gentibus creditum est in mundo assumptum est in gloria

IIII

Spiritus autem manifeste dicit quia in novissimis temporibus discedent quidam a fide attendentes spiritibus erroris et doctrinis demoniorum in ypocrisi loquentium mendacium et cauterium habentium suam conscientiam prohibentium nubere et abstinere a cibis quos deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus et his qui cognoverunt veritatem quia omne creatura dei bona et nichil reiciendum quod cum gratiarum actione percipitur Sanctificatur enim per verbum dei et orationem hec ponens fratribus bonus eris minister xpi iesu enutritus verbis fidei et bone doctrine quam secutus es Nequam autem et anilis fabulas devita Exercere autem ad pietatem Nam corporalis exercitatio ad modicum valet Pietas autem ad omnia valet promissionem habens vite quae nunc est et future Fidelis sermo et omni acceptione dignus hoc enim laboramus et maledicimur quia speramus in deum vivum qui est salvator omnium hominum maxime fidelium Precipe hec et docte Nemo adolescentiam tuam contemnat sed exemplum esto fidelium in verbo in conversatione in caritate in fide in castitate Dum venio attende lectioni exhortationi et doctrine Noli negligere gratiam quae in te est quae data est tibi per prophetiam cum impositione manuum presbyterii Hec meditare in hiis esto ut profectus tuus manifestus sit omnibus Attende tibi et doctrine insta in illis hoc enim faciens et te ipsum salvum facies et eos qui te audiunt Seniorem ne increpaveris sed obsecra ut patrem iuvenes ut fratres senes ut matres iuvencilas ut sorores in omni castitate

V

Viduas honora quae vere vidue sunt